DE

MORBIS INFANTUM

DISSERTATIO,

Quam Anno 1729. Lugduni Batavorum
Edidit pro Gradu Doctoratûs

RICHARDUS CONYERS

LONDINI,
Apud JOHANNEM NOURSE.

HONORATISSIMO

VIRO

D. D. C. MOLESWORTH

MED. DOCTORI,

MERITISSIMO, ERUDITISSIMO,

AMICO SUO INTEGERRIMO, AD CINERES

USQUE COLENDO,

HANC DISSERTATIONEM

In Amicitiæ ac Observantiæ

Suæ Signum, Sacram facit

R. CONYERS.

Monitum

Monitum ad Lectorem.

QUUM nuper prodierit Libellus, hoc titulo, *An Eſſay on Nurſing*, &c. in quo multa in hâc Diſſertatione comprobata reperiuntur; viſum eſt, hoc opus exiguum viginti circiter abhinc annis editum, ad uſum publicum, jam rurſus Typis mandare.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MORBIS INFANTUM.

CAPUT PRIMUM.

QUemadmodum unaquæque ætas ſuos habet Affectus & Mores, quos graphice depinxit Horatius [a], ita etiam ſua incommoda, ſuos proprios morbos patitur, quos rite diſtinguere & cognoſcere, ut tutius iis medela afferri poſſit, tantopere intereſt bonum Medicum. Hinc Infantum peculiares morbos cum viris in hiſce rebus peritis, nonnunquam attente conſiderandi occaſionem nactus, illorum Originem, Diverſitatem, & Curationem, pro virili breviterque in hâc Diſſertatione Inaugurali tradere aggredior. Utque Ordinem quemdam ſequar, Infantum morbos in tres generales Claſſes dividam; quarum Prima continebit illos qui Recens natis peculiares ſunt; Secunda qui Dentitionem concomitantur; tertia qui a Vermibus oriri ſolent.

Morbi Infantibus recens natis peculiares, vel immediate poſt Partum, ab obſtinatâ excernendorum Retentione, vel a perverſâ nutrimentorum Ingeſtione originem ducunt; ibi quidem

[a] In Art. Poet. a V. 156. ad V. 175.

eminet fæcum Primarum Viarum & Meconii ſuppreſſio; hic vero primario ſe offerunt Lactis, & aliorum alimentorum vitia.

Morbi a glutinoſis ſtrigmentis nimis diu retentis.

§. 1. Simul atque in lucem editus eſt fœtus humanus, Funiculo umbilicali reſecto probe ablutus, lecto reconditur, ut collectis in utero materno recrementis excretis, aptior fiat pro nutrimento lactis, ex mammis vel maternis vel ad id conductæ Nutricis emulgendo; quo autem propinato, non raro oriuntur nauſeæ & vomitus, quæ plane indicant hærere in primis viis materiam quandam hoc alimentum rejici facientem, quam ab ejus conſiſtentiâ glutinoſam, caſeoſam, lentam vocamus; primo ergo de morbis inde oriundis agendum eſt.

§. 2. Nunc quod ſit talis materia quemadmodum deſcripta, has partes occupans & replens, docet Infantulorum tum ante tum poſt partum diſſectio; ubi totus ille tractus ab ore uſque ad Inteſtina craſſa, ſtrigmentis glutinoſis, caſeoſis, undique obſitus inventus eſt. Nec mirum, ſi conſideramus tot matres reperiri, quæ non tantum Pituitâ ſcatent glutinoſâ ſanguinemque habent ſimilem, verum indies utuntur adhuc alimentis ſimilibus, adeoque Pituitam lentam, viſcoſamque generantibus; unde quid aliud expectari poteſt, quam ut fœtus earum humoribus ſcateant pituitoſis, glutinoſiſque; & hinc ſaliva & mucus illorum excreta magis lenta magiſque tenacia evadunt; hæc autem per fauces delabentia, & ſimul cum liquore Amnii (nutrimento fœtus) deglutita, atque ad ventriculum, mox & Inteſtinum tenue propulſa, eorum parietibus

ſimul

ſimul deponunt ſuas fæces, quæ paulatim accumulantur, & in materiam craſſam, immeabilem, prius deſcriptam concreſcunt. Quoties autem hoc accidit, quinam inde ſequantur in hos tenellulos effectus, hoc eſt quod nunc videbimus.

§. 3. Corpus glutinoſum dicitur, quod habet partes adeo cohærentes, ut quando movetur una pars, tum hæc ſimul ſecum trahat alias adhærentes partes, interim tamen non tota moles moveatur. Quando tale gluten obtinet in corpore humano, præcipue in primis viis, ut in Infantibus repertum eſt, a motu ſuo & moleſtâ irritatione, ingratum ſtimulantem ſenſum in totam tunicam nervoſam Faucium, Oeſophagi, Ventriculi, & Inteſtinorum efficiet, unde Nauſeæ, Vomitus, Singultus, Tormina & Convulſiones oriuntur, & quatenus Obſtructiones facit, Ingeſti Cruditatem, Bilis inviſcationem, & impedimenta Chyli parandi, perficiendi, & ſecernendi producere ſolet; & hinc fieri (mihi magis quam credibile videtur) quod tot Infantes vel convulſivi vel epileptici naſcantur, vel maximas anxietates mox a partu patiantur.

§. 4. Cauſis explicatis, reſtat nunc ut quaſdam Regulas, tum ad hos dignoſcendos tum ad curandos morbos offeramus. Quod ad diagnoſin, credo quod hoc paucis abſolvatur, non enim hic ut in aliis Caſibus quærenda ſunt ſigna diagnoſtica, in Urinâ quæ ſemper pallidior eſt, vel in Pulſu qui leviſſimâ de cauſâ juſto celerior evadit, ſed potius ex ſolis ipſorum Infantum querelis & Nutricum obſervationibus ſunt petenda; niſi forte his addere liceat, quod Circulus lividus circa oculos apparens ad Pylorum hærentem ma-

teriam craſſam immeabilem plerumque denotet.

§. 5. Prognoſis ex præcedentibus facile hauriri poteſt; ſcil. Cauſa ſi non tollatur, vel mortem, vel alium quemdam non minus dirum certiſſime creat morbum, cujus generis ſunt Indigeſtiones aſſumptorum, & Lactis coagulatio nimia, unde plurima mala. Qui morbus autem facile curatur, modo tempeſtive ſatis prudens advocetur Medicus.

§. 6. Ad faciliorem hujus morbi curationem, debemus in memoriam revocare Cauſam §. 2, 3. memoratam, quæ bene perpenſa neceſſario indicare videtur, 1°. ut materia pituitoſa mucoſa attenuetur & detergeatur; 2°. ut e Corpore probe eluatur & eliminetur.

[1] Ad primam Indicationem nil melius ſucceſſiſſe obſervatum eſt, quam ut Infantes a Cibis per decem vel duodecem a Partu horis penitus abſtineant; nempe ut Ventriculus in ipſam materiam immediate agens, hanc melius attenuare & digerere poſſit; nec eſt ut ab Inediâ aliquid mali hic metuamus, naſcuntur enim cum omnibus viſceribus plenis, & tanta eſt vel hoc tempore Inteſtinorum vis, ut ſibi commiſſa craſſum hoc farcimen conterere & diluere plus ſatis valerent, niſi per præproperam nimis Ciborum pultaceorum ingeſtionem, eorum functiones ſint penitus quaſi devictæ & abolitæ. Tales enim Cibi tantum abeſt ut diluant hanc materiam, ut e contra inviſcant, obtegunt, & ejus digeſtionem & ſubactionem omnino impediunt. Per abſti-

[1] Vid. Eſſay upon Nurſing, p. 13.

nentiam

nentiam autem hoc loco non intelligimus integram ab omni roborante paululum, & ſimul diluente aſſumpto interdictionem, imo potius neceſſarium nobis videtur, ut vel tempore abſtinentiæ pauxillum vini cum melle parvâ Doſi ſubinde exhibeatur. ℞. E. G. Mellis puriſſ. Vini Gall. Hydromellis aa ℥ſs. fiat S. A. miſtura. Cujus adhibeatur Cochleare unum 2dâ vel 3tiâ quâque horâ tempore abſtinentiæ. [2] Solent nonnulli in eundem finem Ol. Amygd. dulc. recens expreſſum cum Saccharo albiſſ. propinare, quorum ope lubricatis & abſterſis ſtomacho & Inteſtinis, copioſæ impuritates ejiciuntur, interdum & vomitu auſpicato eliminantur; ut ut ſoli huic oleo non fidendum ſit, cum vel ranceſcendo facillime Infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat, vel licet non rancidum, vix tamen omnia tam exacte eliminet, quin ſubinde aliquid ſordium remaneat; hæc ſufficiunt ad primam Indicationem.

[3] Ad ſecundam vero neceſſe eſt ut medicamentum quoddam leniſſime purgans exhibeatur, cujus forma ac quantitas, æque ac lenitas maxime hîc conſideranda ſunt; præſtat autem in liquidâ quam in ullâ aliâ formâ exhibere. Sumatur V. G. Syr. Cichorei cum Rheo ℥iij. Sapon. Venet. ℥ſs. Aq. Stillat. Meliſſ. ℥ſs. M. fiat Potio pro unâ Doſi, duabus vicibus ſumenda. vel ℞. Rhabarb. pulv. gr. viij. Sacchar. albiſſ. gr. x. m. & exhibe ex Aq. Ceraſor. nigr. ℥ij. hic multa alia ſe offerunt medicamenta, ſed notare vellem quod Rhabarbarum Infantulis ſit omnium amiciſſi-

[2] Vid. Eſſay, p. 13, 14. [3] Eſſ. p. 28.

mum;

mum; denique Syr. E Spinâ Cervinâ eſt convenientiſſimum abſtergens omnium ſordium & laxans Infantum, præſertim ſi loco Sacchari cum melle per ſe depurato ſub Inſolatione confectus fuerit, vix unquam fallens & commode evacuans. Si autem aliquid impediat ne hæc vel ſimilia commode uſurpari poſſint, vel exhibita votis non reſpondeant, conveniat externe ad Ventriculum & Umbilicum Epithemata Aromatica & moderate ſpirituoſa applicare, unde fibræ teneræ Ventriculi & Inteſtinorum roborentur, & fortius in materiam expellendam agant. Ad hunc finem feliciſſimus in his Caſibus ut & in omnibus aliis Clariſſimus Boerhaavius Tincturam ſolet præparare ex herbis aromaticis, quam ope pannorum vel panis toſti applicari ſuadet, unde mirificos ſæpe producit Effectus. vid. ejus M. M. Sect. 1343.

Morbi a Meconio retento.

§. 7. Quemadmodum materia lenta, pituitoſa, albicans, primas infarcit vias, ſic & Inteſtina craſſa fæce nigrâ, tenaci, ſplendenti, opio ſimili, Meconium dictâ replentur; cujus materiæ Hiſtoriam paucis verbis haud forte extra rem foret tradere. Fœtum in Utero materno hærentem ibi Nutrimentum accipere neminem credo negare, ſed quot & quibus modis hoc fiat, non adeo inter Viros doctos convenit: alii per umbilicum nutrimentum totum advectum volunt, per os vero ſolum, nutrimentum haurire fœtum contendunt alii, nos per utrumque fieri veroſimilius putamus: quomodocunque hoc fiat, materies nutritia ſemel introcepta tranſit primo in Chylum & inde in fæces lentas, per totum Inteſtinorum

teſtinorum craſſorum Tractum aggregandas, nec eliminandas donec ſemel reſpiraverit Fœtus. Videtur ergo hæc fæculenta materies præcipuam ſuam originem ducere ex crudiore parte nutrimenti fœtûs, quæ (ut in adultis) a ſubtilioribus ſeparatur, & in Inteſtinis his ut Communi Cloacâ deponitur; huic vero addendum eſt, quod Saliva & Mucus deglutita, Bilis, & alii humores affluentes ad Conſtitutionem hujus materiæ concurrunt; huic Bilis commiſtioni forte attribui poteſt Color nigro-virideſcens quo tingitur hæc fæx, quæ primo ſubſtantiæ mollioris per moram quotidie magis magiſque compingitur, donec tandem in formam hanc lentam & tenacem condenſatur. Per novem ergo menſium ſpatium fœtus in Utero materno alvum nunquam naturaliter deponit, ſed aſſiduo accumulatur hoc Meconium, quod tamen non putreſcit quamdiu aer non admittitur.

§. 8. Simul ac autem in lucem editus eſt Infans, & aerem undique admittit, immediate has fæces magnâ copiâ naturaliter ſimul cum Urinâ expellit, unde res eſt tam expectata, ut ſi non accidat, morbo quodam laborare Infantem certi ſimus; qui vel in Debilitate fœtûs, Duritie materiæ, Copiâ ejus nimiâ, vel in ſiccitate Inteſtinorum, vel forte in omnibus ſimul conſiſtat; unde ab ejus morâ, acrimoniâ, & putreſcentiâ, peſſima oriuntur ſymptomata; nam ut ſtatim antea diximus, ſimulac aër ingreditur tunc incipit Meconium putreſcere, magis virideſcere & aceſcere, unde Dolores torminoſi, Convulſiones, Singultus & innumerabilia fere alia Symptomata,

quæ

quæ non raro in morte ſuam finiunt Tragœdiam.

§. 9. Hic Morbus facile cognoſcitur, nam omnis Infans in tribus primis diebus poſt partum, materiam fuſcam, fæculentam debet excernere, aliter certi ſimus hanc remanere in Inteſtinis, unde prædicta mala. §. 8.

§. 10. Quæ ſi non ſtatim tolluntur non tantum increſcunt, ſed & alios æque funeſtos creare morbos ſolent: tales ſunt Inteſtinorum Paralyſis, Inflammationes, Gangrænæ, & tandem mors. Quæ tamen ſymptomata ope medicâ ſi ſatis cito advocetur Medicus, non tantum præcaventur, ſed & præſens malum facile curatur.

§. 11. In hunc finem debemus conſiderare Cauſas morbi §. 8. deſcriptas, & tunc credo facile patebit ſequentem omnino neceſſariam eſſe methodum: nempe 1°. ut Vis expellens nimis debilis augeatur, & roboretur. 2°. ut Durities materiæ emolliatur & diluatur. 3°. ut hæc nimiâ copiâ peccans expurgatur. 4°. ut Inteſtina nimis ſicca lubricentur.

[4] Ad primam Indicationem curandum eſt ut Infans non permittatur ullum aliud Lac, quam ex maternis mammis per tres quatuorve primos poſt partum dies exſugere; ut ut ſaniſſima enim ſit Nutrix, tamen tenellulo Infantulo ipſum Lac probe excoctum, craſſius, ſpiſſius, adeoque uberioris nutrimenti, non æque primo ſtatim hauſtu convenire, vel ex eo ſit manifeſtum, quod in Utero materno adhuc concluſus fœtus, nutrimentum lacteum per os hauriat admodum ſub-

[4] Vid. Eſſ. p. 13, 15.

tile,

tile, per duplicem Chorii & Amnii membranam probe filtratum & depuratum, quo teneriora facilius perluat abdominis viscera; ob id provida Mater Natura post partum in salutem editi fœtus, non statim Lac perfecte pingue & spissum administrat, sed præmittit serosiorem tenuioremque Chylum, ut hic ipse minus stomacho facessat negotii; Sed potius serositate saponaceâ abstergat blande Stomachi mucum Intestinorumque collecta recrementa expurgat, ac virtute Diureticâ Organa Urinaria probe eluat, ut ita supervenientis successive alimentosi magis lactis facilitetur digestio, & impediatur facillima ejus Corruptio. [5] Hinc istud quod die primo scaturit ad mammas, potentius purgat, quod 2°. & 3^tio minus, donec evadat ad naturalem lactis spissitudinem. Hoc autem si fieri nequit, studiose in id incumbendum ut Pharmacis nihilominus evacuentur dictæ sordes; In hunc finem convenit medicamentum [6] leniter purgans, Cardiaco moderato adjuncto. Quapropter Syr. Cichorei cum Rheo, Syr. E. Spin. Cerv. cum melle præparatus, Pulv. Rhei, Manna, Cassia, Mel Rosarum, & similia optimo cum successu hoc in Casu usurpata sunt; præsertim si superbibantur haustuli seri lactis recentis, quod a vi suâ saponaceâ & diluente, optime lactis materni statim antea commendati locum supplet: ad Cardiacum nihil melius est, quam pauxillum vini, addito pauco melle. ℞. V. G. Vini Canarin. ℥ss. Mellis ℥ss. Vitelli Ovi ℥ij. Fiat mistura Cordialis, cujus propinetur Cochleare unum aliquoties in die; hoc gratissimum

[5] Eff. p. 15. [6] P. 29.

præbet

præbet Cardiacum, & ſimul ratione Mellis & Ovi leniter ſtimulat & reſolvit.

2°. Ad Duritiem materiæ emolliendam repetantur hauſtuli ex ſero Lactis cum pauco Melle, quod feliciſſime vel per Os, vel per Clyſmata adhibitum tales lentores ſolvit; caveatur autem ne nimiâ Copia injiciatur Clyſma. In Exemplum ℞. Seri Lactis ℥ij. Sapon. Venet. ʒj. Mellis ʒiii. Fiat S. A. Enema bis de die tepide injiciendum.

3°. Hæc etiam (§. 11.) ad materiam hanc expurgandam ſatis & optime inſerviunt.

4°. Lubricanda ſunt Inteſtina, ut ſine dolore & minori cum nixu & molimine exeat materia; quare exhibeatur drachma una vel altera Ol. Amygd. D. recens expreſſ. vel Ol. Lini, Olivarum, & ſimilium, quæ vel per Clyſmata injecta, vel externe ad Umbilicum inuncta & perfricata optimos edunt effectus.

Dum hic occupamur, methodum illam pernicioſam Aromatica, Volatilia, & Opiata exhibendi, non prætereundum eſſe putamus, animadvertat enim quis ſtructuram horum Infantulorum, quam teneri, quam mobiles, quam undique nervoſi ſunt, & quam magnum eorum Caput reſpectu reliqui corporis, & credo facile videbit, nihil hâc ætate dandum eſſe, quod Genus Nervoſum afficiat: & hoc ipſum nos ſatis docuiſſe videtur provida Natura in fabricâ corporum infantilium. Recens enim natis non dedit humorem aqueum in oculis pellucidum, ut in adultis, ſed fuſcum magis, & turbidum, ſcil. ne Lux nimis celeriter horum inaſſuetos Lumini oculos percutiat, nec naſcuntur cum meatu Auditorio

ditorio niſi pannâ quaſi membranaceâ obtecto, quæ 6. vel 7. Septimanis plerumque ſuppurat, & rumpit, unde tunc gradatim quaſi denudatur membrana Tympani; hâc etiam ratione Proceſſus Maſtoidæus, qui ſonum reverberat & auget, in his vix apparet, donec ſono ſatis aſſueti fuere. Præterea Volatilia fere agunt ut Cauſtica, nec deſunt exempla ubi Infantes ab Opiatis nimis largiter aſſumptis, per totam vitam hebetes penitus, & fatui facti fuere; [7] nec minus peccant Nutrices quæ horum laxa Corpora faſciis (ut plerumque fit) nimis arcte conſtringunt; ſic enim comprimunt Liquida verſus Caput, unde hic fit vaſorum repletio, diſtenſio, & dolores enormes, Convulſiones non raro facientes.

§. 12. Hucuſque de excernendorum Retentione egimus, conſideranda nunc eſt ſecunda Claſſis morbos illos continens, qui ab Indigeſtione nutrimentorum oriuntur; ubi primario ſe offerunt Lactis vitia, quorum primum eſt ſi fuerit alienum, h. e. dum non a propriâ matre tenellis porrigitur mamma, ſed nutricibus hoc negotium committitur. Quod ut pateat clarius, ſuppono (ut antea dictum eſt,) 1°. fœtum in utero materno nutriri non ſolum per Umbilicum, ſed ſimul etiam per os. 2°. Nutrimentum ubique non eſſe ſanguinem, ſed Lac, ſeu Chylum lacteum, cum ſanguine per arterias ad uterum dilatum. Vid. Needham *Tract. de format. Fœt. Cap.* 1. 3°. Lac mammarum & ipſum revera eſſe Chylum in mammarum Glandulis ſecretum, & ductibus particularibus exinde ad Papillam delatum.

Morbi a Lacte viciato.

[7] Eſſ. p. 10.

latum. [8] Jam vero unicuique mulieri ſuum proprium eſt Lac, ſeu ſpecialis lactis proprietas ac Idioſyncraſia oriunda ex ſpeciali digeſtionis ſtomachalis differentiâ, (nam hæc in unaquaque ſpecie magnam ſubit latitudinem) ſecundum quam, ut in unoquoque individuo tam naturaliter quam præternaturaliter conſtituto diſtinctus eſt appetitus, ita etiam diſtincta digeſtionis eſt ratio, eorundum licet aſſumptorum; Lac ergo mammarum Nutricis diverſum, a lacte Uterino matris, in ſtomacho Infantuli, non poteſt non ſubire corruptionem & lædere inſigniter digeſtionis primæ arduum negotium, quin & diſtributum ulterius ad maſſam ſanguineam ab Heterogenitate ſuâ hujus quam maxime turbare craſin; & licet varia inſtituantur Lactis examina, bonitatiſque ejus ſcrutinia, fallax tamen eſt judicium, quod ex Conſiſtentiâ, Colore, Sapore, Pinguedine, &c. petere ſemper volunt Practici, cum inſenſilia utplurimum ſint vitia, quæ lactis turbant miſcelam; adeo ut reverâ Lactis conditiones & vires metiendæ ſunt ex ſanitate matris, vitâ ejus & cibis. Cum vero Nutrices adſcititiæ ſint utplurimum pauperculæ, & quibuſcunque edulibus ſubinde latranti reſpondeant ſtomacho, vix fieri poteſt quin & Cacochyliâ & inde oriundâ Cacochymiâ laborent. Morboſæ hæ proprietates naturales uti per Lac communicantur a Nutricibus, ita non minus etiam morales; Unde Sylvius *in Tract. de Morb. Infant.* §. XLII. " Mirum " certe eſt ut ut veriſſimum atque multiplici ex- " perientiâ confirmatum, Infantes non tantum

[8] Eſt. p. 25.

" qualemcunque Corporis Conſtitutionem bonam " vel malam, verum animi quoque mores bonos " maloſve una cum Lacte allicere, quin magis " nutrices, quam matres ſecundum Corporis " conſtitutionem animique mores imitari." Conſultiſſimum ergo foret ut matres ſanæ vel non admodum morboſæ proprios nutriant Infantes.

§. 13. Nam ſive nutrix ſive mater ſitienti ſatisfecerit puerulo, niſi ſanâ vegetâque gaudeant corporis Oeconomiâ, indubitatum eſt morborum ſemina radiceſque firmiſſimas in eum tanquam per medium fomitem tranſplantari. haud opus eſt exempla hac in re enumerare, Lues Venerea, Scorbuti variæ ſpecies, Scrophula nimis frequenter nunc dierum manifeſtant, contagioſam Indolem per mammas in ſugentem Infantem propagari.

Quinetiam ſana licet in proprio Corpore deprehendatur nutrix, ſi tamen propriæ Conſtitutionis causâ, idque ex ratione peculiaris in ſtomacho Digeſtionis, vel ſeroſioris & ſalſioris ſanguinis Conſtitutionis, vel certæ in glandulis mammarum Texturæ ſeroſius, acrius, aut ſalſius aliove modo minus conducens infanti lac colligat, etiam citra Sugentis noxam id adhiberi nequit, quin nutrimentum tale, ipſi minus appropriatum hoſtile & inimicum evadat.

§. 14. Sed ſaniſſima ſit mater vel nutrix, tamen ejus Lac ſæpe nimis nutritivum tenero Infantulo fit; hoc frequenter accidit malum, quando robuſtis nimis aut obeſis, aut qui jam [9] aliquamdiu lactarunt nutricibus mox tradunt parentes ſuos Infantes, a quorum Lacte buty-

[9] Eſſ. p. 26, 27.

roſo & facilius caſeoſo nimis gravatur tenellus ſtomachus, & digeſtionis opus inde inſigniter retardatur, ac cruditati acidæ, Lactiſque coagulo promptiſſima occaſio ſubminiſtratur. Illuſtrat hæc exemplum Epilepſiæ aliquot filiabus lethale, ex nimiâ lactis materni licet Butyroſitate & pinguedine, quod recenſet Hoffmannus in Tr. de uſu & abuſu Med. Chym. p. 49.

§. 15. Sed tolerabile adhuc quia facile corrigibile eſſet hoc erratum niſi aliud longe gravius, etſi familiariſſimum ſe offerret, nempe ſuperflua & inordinata Lactis Infuſio, qua matres pueros ſuos nimis alendo ſæpe necant, & dum lactant, mactant, ut recte obſervat Kerkringius ;[10] dum ad quemlibet ex quacunque causâ excitatum Infantis Ejulatum, ipſi renuenti licet, ſubinde Papillas in Os intrudunt, ac Lac ſugere cogunt, priori licet crudo adhuc, ſubacido & nondum concocto in ſtomacho hærente, unde novi ſuperingeſti neceſſario congrumeſcentia, Caſeatio, ac utriuſque in paſtam acidam, viſcidam, corruptio ſuccedit, unde Pylorus ſe pertinaciter ſtringit, & plane non aut difficulter ſaltem talia caſeata tranſmittit, ut ulteriori morâ in loco iſto tepido in deterius, ac ex cruditate acidâ, in corruptelam putredinoſam labantur, ac in liquamina putrida, flaveſcentia, nidoroſa, &c. tandem degenerant, unde Nervos ſtomachi quam maxime ſtimulat, & per gulam omnia iſta vitiata remittuntur. Præſtat ſane hic peccare in defectu quam in exceſſu, cum repletiones ad extremum productæ graves

[10] Eſſ. p. 16.

eſſe

eſſe ſoleant; & ſicut repletio omnis, in ſpecie panis in adultis, ita ſane lactis in tenellis eſt peſſima; hinc enim conſequenter impura Corpora quo magis nutriveris eo magis læſeris. Hipp. *Sect.* 2. *Aph.* 10.

§. 16. Periculoſius jam urget fatum miſellos lactentes ex perversâ & ſæpiſſime inordinatâ Lactantium diætâ; circa quam, ſaltem alimentorum promiſcuam Ingluviem, affectuum neglectam refrænationem & excernendorum pariter ac retinendorum peccata conſiderabimus.

§. 17. Sanis quidem omnia ſana, modo per internam appetitus dictaturam imperentur; quod enim ſapit, nutrit, adeo ut in ſanis ſcrupuloſus alimentorum delectus, reverâ ſit fruſtraneus, quin potius ſi appetitus circa aliquod objectum feratur intenſius, imprimis conſuetum (nam in inſuetis appetitus ſubinde medicamentum quærit) vix denegandum ſit, quia vis digeſtiva potenter quælibet in ſui ditionem, trahit & coërcet, modo talia cum moderamine mediocritatis exhibeantur, cum ſobrietas recte Cardo totius dicatur diætæ. Id quod nutricibus conductitiis in ſpecie obſervandum, ut plurimum egenis, adeoque famelicis, & frequenter nimio nutrimentorum exceſſui primitus indulgentibus. Lactantes tamen præ cæteris tenellos reſpicere debent, cum leve illarum erratum quamvis ipſis innocuum, his graves ſubinde inducet paſſiones, & aſſumptorum plures proprietates in Chilo perſiſtentes ut ut plus minus infractæ aut alteratæ, ſui tamen præſentiam in Lacte manifeſto exerunt, & medicamenta pro augmentando aut corrigendo lacteo Chylo aſ-

ſumpta, eorum in eo præſentiam odore & ſapore teſtantur. haud opus eſt exemplis hæc firmare, quorum varia admodum in auctoribus ſatis ſuperque proſtant. verum in ſpecie urgeo acida, quæ ſive ſint Condimenta ſive Potulenta, ſui veſtigia in dulci lacte relinquunt, utcunque ſenſibus abſcondita, poſtmodum tamen torminum Infantilium ex acido rodente autores. unde & cautiores matres dum fœtum in Utero incluſum geſtant, acida nimia fugiunt, ne præmature inſontes torqueant, aut fomitem Epilepticum ingenerent. hinc Caſeus non immerito interdicitur nutricibus, ne hoc tanquam præmaturo coagulo ad grumeſcentiam præternaturalem jam in mammis lac deponatur. Cereviſia non rite fermentata, aut fæcibus turbata, licet robuſtiores in nutricibus Inteſtinorum tunicas minus afficiat, pueris vero quod Diarrhœam torminoſam & inde Inſultus Epilepticos excitet, compertum eſt. id quod ſimiliter de fructubus horæis ſucculentis facile fermenteſcentibus manifeſtum eſt; ſicut aridiores e contrario alvum pertinacius ſiſtunt, quod contigit in Infante, cujus nutrix nimis avide Caſtaneas aſſumpſerat. cautas ergo nutrices eſſe jubeo in aſſumendorum ratione, plus minus tamen, prout nempe aut conſuetudinis aut digeſtionis primæ vel abſolutioris, vel deficientis adeoque ſubactorum plus minus & alteratorum a vi digeſtivâ ingeſtorum in iis fert ratio.

§. 18. Animi Pathematum inordinatus inſultus ut generaliter ſpiritus animales, totumque genus nervoſum, & his mediantibus maſſam ſanguineam & reliqua Corporis Contenta liquida commovendo

commovendo insigniter alterat, ita specialiter nutrientium depravat Lac; præ cæteris Iracundia & Terror Nutricum nimius, nocentissimus est Infantibus, & ab utroque, præsertim priori Epilepticas excitari Convulsiones notissimum est; turbant sane affectus omnes Concoctionis primæ negotium, adeo ut ex tristi nuntio esurienti inopinato allato, adeoque incusso sic Terrore, statim pereat omnis appetitus, unde digestionis consequenter impedimenta, & cruditatum acidarum occasiones; qui effectus itidem ex Iræ furore expectandæ sunt, hinc Lactis coagulum, & in mammis grumescentia, unde tandem Inflammationes, dolorosissimique abscessus & imprimis Erysipelata superveniunt: sicuti a tali lactis semicaseati suctu mille malis mulctatur Infans, & speciatim ad Epilepsiam ordinario disponitur. Sed præter has sensiles coagulationis & grumescentiæ qualitates nocivas, & alias multivarias deformitates induit lac, ex tam variis affectuum fluctibus; quibus sane non tam matres, quam in genere nutrices obnoxiæ succumbunt; quarum singulæ Infantis nutrimentum lacteum morbose disponunt; & ita fœtus sanitatem graviter labefactant.

§. 19. Excretorum supersunt consideranda in Nutricibus errata, [11] quæ inter Menstruorum consideratio primatum obtinet; supprimi hæc ipsa ut in Gravidis ita & lactantibus (probabiliter in salutem fœtus) naturæ respondet legibus; in habitioribus tamen sanguine turgescentiore præditis, viraginibus dictis, tam primis gestationis mensibus, quam ipso lactationis tempore eadem ordinariâ erumpere periodo crebrius observatur.

[11] Ess. p. 27.

quoties vero ſanguinis iſta contingit excretio, toties ſenſilis in tenellis obſervanda venit alteratio; quâ languidi lachrymoſi & imbecilles fiunt, donec obturato denique ſanguineo fonte, dicti languores etiam denuo remittant. Verum enimvero inſignior longe Lacti imprimitur alteratio, ſi per fœcundum Coitum Nutricis impediatur menſtruatio; ad corruptionem exinde lac diſponitur, & horridam quodammodo acquirit impreſſionem fœtui fere abominabilem, id quod & in Brutis obſervabile eſt, ut curioſo exemplo obſervatum a Graafio. *de Organ. Viror. genital.* Lac ita depravatum, ne dicam corruptum, ab Infante hauſtum degenerat in ejus ſtomacho in vitioſum Caſei coagulum, cujus effectus aliquando per totam vitam Infantis non delendi ſunt; hinc medicorum eſt præceptum ut toto Lactationis tempore Nutrices a Coitu abſtineant.

§. 20. Hæc vitia Lactis fuere, reſtant adhuc errata Pultis, ceu ſecundum genus errorum in aſſumptis. [12] Hic imprimis ſe offert farinæ crudæ uſus, quæ cum Lacte vel Aquâ ſubacta & cocta, ac in pulmentum viſcoſum redacta, quid aliud dabit quam paſtam tenacem, crudam, & viſcidam, utiliorem bibliopegis pro glutinandis Chartis, quam Infantibus pro Nutritione. Robuſtus quidem eſt adultorum ſtomachus, hoc tamen ferre non poteſt, magno ſine periculo, ut patet ab obſtructionibus, Cachexiâ, &c. in muliebri ſexu a tali Cibo ortis. Quid quæſo ergo expectandum eſt ſi debili Infantili ſtomacho tale Pulmentum glutinoſum ingeras, & lac butyro & caſeo pingui

[12] Eſſ. p. 17.

turgidum

turgidum ſuperaffundas? quid exinde futurum putas? tenax nempe & glutinoſus, vitioſoque acore intenſe tinctus emerget mucus, mille malorum in junioribus talibus fœcundus parens. [13] Compertum ſane eſt, ſponte ſuâ & facile quamlibet farinam liquore ſufficienti ſubactam, & in loco tepido aſſervatam, aceſcere inſigniter, & hinc fermentare & ſpumoſe turgeſcere; id quod ſi fiat in ſtomacho Infantis (loco ſemper calidiſſimo) ex præternaturali & ſtomacho peregrino pultis acore corrumpitur ſuperingeſtum Lac, & in Grumos Caſeoſos denſatur, adeoque tota digeſtio prima exinde depravatur inſigniter; perſpexerunt hoc & ideo rejecerunt tales pultes jam olim plures inſigniores medici; uti de hoc videri poteſt Hildanus Cent. 6. Obſ. 34. qui periculoſiſſimam Pylori obſtructionem a tali ſpiſsâ Pulte natam obſervat.

§. 21. Poſt Pultis præparationem culpanda eſt etiam ejus uſurpatio, dum nutrices eandem prius in ore volutant, & ſalivæ permiſtione debitam fluiditatem & calorem (ut dicunt) conciliant; indeque infantis ori intrudunt; jam vero ſalivæ, ſingularis admodum eſt vis fermentativa, a modernis ſufficienter declarata, ratione cujus proficua ſane eſſet ejus cum Pulte miſcela, ſi exacte ſana Nutrix eam inſtitueret; ſed cum ratione hujus virtutis fermentativæ, etiam morboſa contagia ſub ejus vehiculo promptiſſime communicentur, ſeque multiplicent, ob id minus iſtam Nutricis delibationem permittere poſſum, cum exinde facillime ad morboſam Corruptelam Puls

[13] Eſſ. p. 18.

diſponatur, imprimis ſi tantillum ſcorbutici viri (quod nunc dierum adeo prædominat) Gingivas & ſalivam inquinaverit.

§. 22. Detectis ita remotioribus cauſarum morbificarum fontibus, dum exactius nocendi rationem proximam inquirimus, perſpicuum evadit ſuccum vitioſe acidum, nunc viſcidum, nunc aqueo-ſeroſum defectu primæ digeſtionis in ventriculo, ejuſque in Inteſtino Duodeno perfectionis, adeoque ex cruditate acidâ coacervatam, eſſe cauſam proximam, & radicem, ex quâ tot morbi Infantiles frequentiſſime propullulare ſoleant; facillime ſcil. Lac in ſtomacho tepido aceſcit, hinc ſpiſſeſcit, & factâ per coagulum ſeri a contentis ſeparatione, caſei cum butyro pernicioſus grumus nunc in ſtomacho nunc Inteſtinis ſubſidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret, conferente ſymbolum pulte farinaceâ crudâ & viſcidâ, facile aceſcenti, una cum retento & plus minus corrupto Meconio, unde ex conditione loci h. e. ſtomachi calidi, & ratione contentorum recrementorum, uti & ingeſtorum lacteorum & pultaceorum intenſus acor neceſſario & de facili oritur, qui nunc materiâ viſcidâ irretitus, in primis viis ſuas ludit Tragœdias; nunc vehiculo aqueo ſeroſo & lymphatico ulterius diſtributus etiam aliis & remotis in locis mille malorum exiſtit artifex; hinc fæces Alvi virides, acidum ſpirantes, materies vomitu rejecta acida, Tormina, Flatus, Dolores, Maculæ rubræ, & infinita alia mala, maxime convulſiones oriuntur. Clara hæc evadunt ſponte, modo ſuperioribus Theſibus explicata, probe conſideremus; ſimulque obſerve-

mus pleraque Infantum mala per Remedia acidum deſtruentia percurari.

§. 23. Jactis hiſce fundamentis facilis eſt via ulterius indagandi ſuperius enarratorum morborum generationes. Tormina infantibus fere inevitabilia ab Acido oriuntur, quod ex ſtomacho, ſæpiſſime ex lactis coagulo & Eſu acidorum a nutricibus delapſum, Inteſtinorum membranas pungit, rodit & lancinat, unde iſti cruciatus, cum convulſivis ſpaſmis juncti, prodromi ex inde non raro Epilepſiæ, iique eo crudeliores, quo viſcidiori Glutine ſe agglutinaverit eorum parietibus. Horum indicia præter Ejulatum ſunt Excreta ut plurimum viridiſcentia plus minus, ſeu ut vocant porracea & æruginoſa, & acidum ſpirantia. Forte autem quis roget, ſi fæces acidum ſpirantes hoc denotent, cur non in vaſa lactea intret acidum? Si conſideramus fabricam horum oſculorum, hoc facile patebit; nam talis eſt eorum Conſtitutio, ut ſingula habeant Sphincterem quaſi circum cingentem, omnem minimum attactum acidi vel Acris penitus repudientem; haud aliter ac oculus noſter nobis nolentibus volentibus, quicquid quod acre eſt uno nictu excludit. non autem dico penitus nullum acidum in ſanguine pervenire, forte enim furtim quaſi & gradatim cum Chylo permiſtum inſinuet ſe in Ductum Thoracicum & ſic in ſanguinem veniat. ſed hoc rarius fit, & tunc fiunt fortiſſimi morbi, ut probant Pallor inde univerſalis ſubvirideſcens, & puſtulæ rubræ per totam ſuperficiem Cutis hinc inde diſperſæ; in genere autem acidum ſuam tenet ſedem in primis officinis Chylopoieticis; nam ulterius Cl. Boerhaavius

haavius dicit ſe nunquam inveniſſe Lac acidum, forte tamen aceſcens, quod antea dicta videtur ſtabiliri.

§. 24. Si autem copioſus tenaciorque grumus ſtomacho incumbat, cui per pylorum tranſitus negetur, non poteſt non exinde appetitus dejici, & horror mammæ oriri, cum abſolutâ Apepſiâ; cum quotidie obſervamus iſtud quod ſemel ſtomachum læſerit, ceu hoſtile poſtmodum, diu ab eodem averſari; quod ſi gravius exinde oneretur ſtomachus, vel obſtruatur omnino Pylorus, & irritetur quoque, hujus convulſiva contractio, quam vomitus violentus ſequitur, ſupervenit, tenella Corpuſcula inſigniter quidem lædens, ſalubris tamen, quatenus excrementa iſta re movet, & graviorum malorum jamjam imminentium eſt medicus. puta enim talia diutius hærere in ventriculi burſâ, facile ex acore fermentativo, paſtæ inſtar farinaceæ intumeſcent, & impetuoſo flatuum proventu, intumeſcentiam Præcordiorum, hinc Diaphragmatis impedito motu, difficilem Reſpirationem, & ex horum flatuum in orificium ſiniſtrum impetu, hujuſque pertinaci ſtricturâ, Præcordiorum Anxietates, inde Inquietudines, ſomni impedimenta, Vigiliaſque inferent. eadem eſt origo Hypochondriorum Inflationis, & totius Abdominis Tympaniticæ diſtenſionis, nam loco tantum differunt a priori.

§. 25. Sed ſi tenacior talis acidiorque mucus ſuperiori Ventriculi orificio firmius adhæſerit, per conſenſum firmiſſimæ connexionis Diaphragmatis ſimul irritabitur muſculus, unde hujus ſub inſpiratione factâ convulſiva Contractio, ſingultum

ſubinde

ſubinde contumaciſſimum infert; ſicut in ventriculi Cavo, ſi magis fluctuent pituitoſa talia acida, eaque ſucceſſive irritent Orificium ſuperius, vel infensâ & moleſtâ ſuâ præſentiâ, vel ſaltem halitibus acrioribus, excitabuntur ſub exſpiratione occaſione vellicati Diaphragmatis, ipſique compatientium muſculorum exſpirationi inſervientium horum Convulſivi motus, unde repetentes Tuſſes concutient tenella Pectora. revera enim ex ſtomacho hujuſque in ſeipſo coacervatis cruditatibus, Infantum exoritur Tuſſis ſubinde tanta violentiâ repetens, ut non niſi ſupervenienti vomitu copioſique muci rejectione ad Tempus ceſſet; rara autem Infantibus ſicca Tuſſis, aut quæ ex Laryngis Aſperæque arteriæ oriatur irritatione, obvenit, niſi interdum inclementioris aëris afflatus & liberior hauſtus ſuo modo ad hunc diſponat. idem aſſerendum de Tuſſi iſtâ quæ cum Aſthmate Infantes ſæpe vexat, quæ utplurimum ex ventriculo onerato oritur, dum mucilagines acidæ coacervatæ & flatulentâ turgeſcentiâ tumefactæ, moleſtum tale Aſthma producunt; hinc enim etiam provocato vomitu ſtatim liberantur.

§. 26. Supereſt adhuc Effectus alius ejuſdem cauſæ tenellis maxime moleſtus, Exulcerationes ſcil. quarundam partium internarum, imprimis Oris, Faucium, Palati, Linguæ, ipſiuſque Oeſophagi, Aphthæ appellatæ; harum Origo eſt acre acidum excorians & exulcerans dictarum partium ſuperficiem. Fons peccantis acidi potiſſimum eſt in ſtomacho corruptela Lactis & Pultis, nimiaque ejus aceſcentia, ut ut enim aut lactis nutricis aut ſalivæ ipſius Infantis a quibuſ-

dam

dam nimia accuſetur acrimonia, vix tamen in Infantibus aliam originem agnoſcunt, quam acorem vitioſum ex ſtomacho exhalantem; nam & in adultis frequenter contingere ſolet, ut correpti febribus Cruditatibus recrementoſis, in ſpecie porraceis in ſtomacho exiſtentibus, aphthis moleſte laborent, niſi mature fomes removeatur a medico ex ventriculo.

§. 27. Hactenus diximus de Morbi tum Cauſis tum Effectibus, ordo nunc videtur requirere ut aliquid de horum utriuſque inſtituamus Curatione. in quâ pertractandâ ſecundum Theſes ſuperius Explicatas ad ſequentes Indicationes attendendum eſt. Primo ut Acidum prædominans dometur, Infanſque ſimul roboretur.

Secundo ut Coagulum ſemel natum reſolvatur & expurgetur. & Tertio ut Lac aceſcens vel utcumque in Nutrice peccans corrigatur, & quædam Regulæ quoad Lactationem inſtituantur.

Primam quod Indicationem melius abſolvendam, Naturam Acidi paulo conſiderare forte operæ pretium erit, quatenus cognitis nonnullis ejus Effectibus cum aliis Corporibus extra Corpus humanum, melius poſſimus operationes medicamentorum jam conſulendorum explicare. Acidum dicitur ſal quod habet Saporem & Odorem quem omnes vocamus acidum, ut V. G. Succus Limonum, Acetum, ſpiritus Vitrioli & ſimilia; cognoſcitur autem ab Effectibus, ut ab efferveſcendo cum omnibus alcalinis, hæcque non parum facit ad Cognitionem curandi morbum acidum, ſi hujus efferveſcentiæ modum bene intelligimus, cujus naturam ſola nos docuit Chemia;

Efferveſcentia

Efferveſcentia dicitur motus violentus inteſtinus, qui miſcendo duo Corpora ſimul, quæ antea quieta erant, mox oritur, quæ autem in exemplo melius patebit; ſumatur Sp. ſalis Marin. meraciſſimi ʒj. huic addatur pauxillum Lapidis 69 pulver: mox orietur Calor, ſibilus & manifeſta ebullitio, hæcque vocatur efferveſcentia; ſi pergas addendo hunc pulverem per tres 4orve vices, tandem ceſſabit hæc actio; ſi tum leniter inclinando ſeparas liquorem a pulvere, invenies longe alium quam Lap. 69. nam non amplius cum Acidis efferveſcebit, ſed fit Tertium quid, nec alcalinum nec acidum, examina tunc Liquorem, hunc invenies penitus inſipidum nec amplius cum alcalinis efferveſcentem. Forte viceſſima pars hujus ſpiritus erat ſal acidum, hoc autem in poros Lap. 69. abſorbebatur, unde talia medicamenta Abſorbentia dicuntur. Ex his concludimus, ubi talia medicamenta tuto adhiberi poſſunt, acidum in ventriculo prædominans inviſcare, abſorbere, & domare neceſſario debent; unde primæ Indicationi noſtræ hæc imprimis ſatisfacient; horum autem variæ ſunt ſpecies, ut Oculi Cancrorum, Teſtæ Calcinatæ, Corallia, Margaritæ omnes, omnia oſtraca dermata, mater Perlarum, & omnia piſcium oſſa; huc pertinent etiam omnes Terrænativæ, ut Argilla, Creta imprimis Britanica, Bolus Armena, &c. hæc omnia Acidum abſorbent, & tertium dulce Corpus conſtituunt: interpoſitione horum venena maxima & acerrima demulceri poſſunt; ſic Mercurius Corroſivus cum Limaturâ Chalybis multum contritus innoxius evadit; ſic & lapis infernalis per hanc ſuâ vi

Cauſticâ

Cauſticâ penitus privari poteſt ; Et vitriolum hac ratione fieri medicamentum innocuum. Hinc concludimus hæc ſumma eſſe anteacida & ad Intentionem noſtram omnino neceſſaria ; nec facile errabit Medicus in ſuâ ex his Electione, ſed quoniam Debilitas Infantis non raro humorem acidum auget, hoc in caſu ante omnia Limatura Martis commendanda eſt, quia non ſolum Acidum præſens, ſed roborando vaſa & viſcera, & cauſam acidi tollit. ℞. E. G. Oculi Cancr. Margaritæ, Corallii Alb. Limatur. Mart. pulv. aa ℈j. Sacchar. albiſs. ℈ij. M. Ft. Pulvis in doſes xij. dividendus, quarum una exhibeatur ter vel ſæpius de die pro re natâ. In his autem propinandis unum aut alterum obſervandum eſt, nempe ut non lævigentur in pollinem inpalpabilem, uti vulgo præſcriptum eſt, ſed potius craſſiuſcule pulveriſata exhibeantur, niſi certi ſimus adhuc manere Acidum, aliter fiunt Paſtæ peſſimi moris ; nam hæc tantum in primis viis agunt. [14] Hinc etiam patet neceſſitas lene quoddam purgans ſemel vel bis de ſeptimanâ repetendi, ad hanc materiam paſtaceam per alvum eliminandum. Præterea omnia alcalina fixa ſunt Cauſtica leniora, ergo cum ſigna acidi præſentis deſunt, non tutum eſt dare talia medicamenta, tum enim non inveniunt aliquid oppoſitum & ſuas vires obtundens, ſed ut cauſtica agunt, maximo non ſine periculo.

Pergimus jam ad ſecundam Indicationem, quæ medicamenta penitus alius generis requirit ; ſcil. Saponacea & Reſolventia. Nam quando Lac

[14] Eſſ. p. 32.

penitus

penitus caſeeſcit, Teſtacea tantum plus acredinis impediunt, & compactam materiam nullatenus attenuant, nec reſolvunt. Attenuantia enim ſunt omnia illa naturalia quæ niſum particularum ad cohærendum tollunt; dicuntur Reſolventia quatenus Liquidorum moleculas præternaturaliter coaleſcentes reſolvendo in naturalem reducunt ſtatum. Summa attenuantia & Reſolventia ſunt omnes ſapones Artificiales, imprimis autem ex his commendatur ſapo venetus. His etiam accedit Bilis quæ eſt ſapo naturalis in corpore exiſtens, ab Infarcto autem Duodeno (unde Icterici fiunt Infantes) hic agere non poteſt, loco ergo hujus deficientis Fel animalium inſtituendum eſt. Quod ſaponacea reſolvunt inde patet, quod corpora glutinoſa, gummoſa, reſinoſa aquæ miſcibilia reddunt; Huc referri etiam poſſunt mellita, ſaccharа, ut & vitellum ovi, quo nihil fere plus reſolvit. Quod Bili ineſt vis maxime ſolvens diſcimus a pictoribus, qui tenaciſſima ſua pigmenta non aliter quam hujus ope ſolvere poſſunt; omnium autem optime ad noſtrum ſcopum commendat ejus Actio in Vitulo. Ab obſervationibus ſatis notum eſt, hoc animal quatuor habere ventriculos, ubi nunc lacte materno primum ventriculum ingurgitavit, ibi mox aceſcit, & mutatur in Coloſtrum & ſerum; quod ſerum tranſit per tres alios ventriculos, & inde ſanguini permiſcetur; Coloſtrum vero deſcendit in Ventriculum ſecundum, ibi premitur & fit durius & compactius, idem fit in Tertio Ventriculo & in Quarto, donec tandem omni liquido expreſſo, tam durum fit ut vix crederetur vitulum poſſe

tale caſeum conficere; ſed ſimulac hoc ingreditur Inteſtinum Duodenum, ibi Bili occurrit, cum hac permiſcetur & attenuatur adeo ut per fæces alvinas penitus ſolutus deponatur. Ex his credo quis facile videbit quam appropriata ſit noſtræ Intentioni, quandoquidem morbus hic ſæpe a defectu Bilis vel ejus Inertiâ oriatur. Et hinc patet cur Icterus Infantilis ope hujus vel ſimilis ſaponis adeo feliciter curatur. Quærendum jam eſt quodnam animal hanc maxime agentem præbeat; quo animal habet digeſtionis Organa minora, eo bilis ejus eſt amarior, unde in aliquibus piſcibus eſt acerrima, inter hos autem Anguilla & Lucius omnium acerrimam dant. Nunc ſi pauco utriuſque horum fellis admiſceatur ſimul pauxillum ſaponis Venetis commode ex his conficiantur pillulæ exiguæ, quæ in pulpâ panis cocti exhibeantur, vel Fel exciſſum & toſtum redigatur in pulverem & ſic propinetur; vel ſumatur tota veſicula fellea, & hanc in primo cochleari cibi eſurienti Infanti exhibe. Ex his & talibus cum omnia ſine ſucceſſu data fuere, Cl. Boerhaavius in ſuis aureis prælectionibus nos monet, ſe miros vidiſſe effectus. Poſtquam nunc hæc tantâ quantitate exhibuimus, ut occaſio detur materiam impactam reſolvi, haud improprium ſit medicamentum leniter purgans conſulere, uti Rhabarb. vel clyſmata ex ſero Lact. cum pauco melle, per quæ materiam nunc mobilem redditam e corpore expurgamus.

§. 28. Quandoquidem autem cauſa morbi multoties magis a nutrice quam ab Infante procedat, talia medicamenta præſens malum tollant, ſed

cauſam

cauſam nullatenus attingent, quatenus in Infante non hæreat. Ubi tum applicantur remedia? in nutrice proculdubio, quod nos ad Tertiam Indicationem ducit, nempe ut Lac hujus aceſcens vel utcunque vitiatum corrigatur.

Quod Nutrix præbeat Infanti Lac ejuſdem naturæ alimentorum quæ illa aſſumpſerat, credo antea ſatis ſuperque dictum eſt, ergo hic non inhæreo; & quod Lac bonum vel malum ſit, ſecundum Temperiem & Diætam Nutricis æque planum eſt; cum autem Temperies multum a Diætâ pendeat, in hâc bene inſtituendâ tota conſiſtit curatio; hinc ab omnibus acidis, & vegetabilibus aceſcentibus religioſe abſtinendum eſt; vid. §. 17. & ſi neceſſe eſt exhibeantur eadem medicamenta, majori modo Copiâ quæ Infanti jamjam commendata erant. Cibus ſit nil niſi jus Carnium, Cancrorum, Oſtreorum vel Piſcium fluviatilium. Potus ſit nil niſi Decocta ex Raſur. C. C. vel Eboris, quæ nunquam aceſcunt; hiſce adde ut ſimul modico exercitio utatur, nam cibus a nihilo plus quam ab Inertiâ in aceſcentiam vergit; verbo dicam, Nutricem penitus ut Infantem fortioribus niſi Remediis tractarem; [15] nam quicquid nutrix ſub nomine victûs, Potûs, vel Medicamenti, vel Veneni in ſuum Corpus ingerit, Infans poteſt totis ſuis viribus haurire cum Lacte, modo tempeſtive ſatis Uberibus applicetur. i. e. ſi intra horam unam aut alteram ab Aſſumpto, præſertim

[15] Eſſ. p. 27.

ſi nutrix per aliquod Tempus jejunaverat antea, exhauriatur Lac. hinc patet quam male conſulunt ſuos Infantes nutrices, quæ poſtquam mammæ ab eſurienti Infante penitus evacuantur, Vinum aut Cereviſiam ad reficiendas vires aſſumunt; ſtatimque poſt ejulanti tenellulo ubera iterum præbent; unde ſæpe ſubitæ proveniunt Convulſiones tum parentes tum medicos non raro fallentes, dum hanc negligentes aliam inquirunt cauſam. Si autem nimis diu jejunant Nutrices, tunc Lac ipſorum in ſerum ſalſum flaveſcens penitus converſum eſt, urinoſum induit ſaporem & odorem, unde Infanti abominabile fit, & ab alcaleſcentiâ ſuâ in putridum vergente febres peſſimas parit; hinc optimum Tempus pro nutriendis Infantibus eſt quatuor aut quinque horis a paſtu, tunc enim circiter temporis ſatis perfecta eſt Digeſtio, & Chylus obſervante Lowero & Wallæo blandiſſimus, nec nimis crudus nec coctus, ſed pro nutriendo aptiſſimus evadit.

§. 29. Sic tandem vidimus quot modis Lac in Nutrice peccet. & quomodo peccans corrigatur, quæ enim dicta ſunt de Acido in genere, & ejus curatione, eadem ad quoſcunque alios fere applicentur morbos, modo certi ſimus hos rite intelligere, ut eorum oppoſita propinemus. Sic ſi a febre vel aliquâ aliâ causâ, nimis in Alcaleſcentiam vergant humores, quam denotant fæces Alvi valde putridi olentes, ructus amari putridi, halitus fœtidus & calidus, tum aceſcentia in auxilio advocanda ſunt; victus Nutricis ſit

ex

ex vegetabilibus, Pane ſcil. Cereviſiâ, Hordeatis, Avenaceis &c. abſtineat penitus a carne, jure carn. & hujuſmodi alcaleſcentibus; & præ cæteris obſervet, nunquam poſt tres a cibo aſſumpto horas Infantem lactare, præſertim ſi mulier robuſtioris ſit habitus, & ſic de cæteris.

§. 30. Ex præcedentibus autem concludimus, melius eſſe quod Infans a matre vel nutrice ſana Lac ſuget, quam vaccino [16] Lacte veſcatur. hoc enim ſemper aceſcens eſt naturaliter, & plerumque ad Ignem coctum eſt, priuſquam adhibeatur, coquendo autem perit ſubtiliſſima ejus pars, dum viſcidior & caſeoſa remanet; ſi ſuctu autem hauriatur, calidum directe ex mammis in Os elicitur, nullâ parte deperditâ. & ut antea demonſtratum eſt, hac occaſione ſanetur Infans, ubi nullâ aliâ methodo medicamenta idonea applicari poſſint.

§. 31. Expectetur forte ut hic agamus particulariter de morbis Epilepticis Infantum, ſed ut hi plerumque a nonnullis præcedentium oriuntur, hinc ab iiſdem medicamentis curandi ſunt, quibus ſi non cedunt, raro ſanationem admittunt, ſed per totam vitam miſerrimi inſultibus Epilepticis obnoxii manent. Advenimus ergo ad ſecundam generalem claſſem, morbos iſtos qui Dentitioni communes ſunt amplectentem.

[16] Eſſ. p. 18.

CAPUT SECUNDUM.

De Dentitione.

§. 1. DEntitio vocatur illud Tempus quo Dentes ex Gingivis primo ſolent erumpere, quæ autem in nonnullis citius, in aliis ſerius, in genere autem circiter ſextum ſeptimumve ætatis menſem accidit, in quibuſdam ſine multo dolore, in plurimis autem non ſine maximo periculo peragitur. In his Dentitio difficilis vocatur.

§. 2. Quemadmodum Tempus ipſius Dentitionis admodum incertum & varium eſt, ita Ordo quo ſolent erumpere dentes, non raro etiam variat. generaliter autem Inciſores primo erumpunt, dein Molares, tandem Canini dicti in ordine apparent. Inciſores facilius plerumque ſolent prorumpere, tum propter Gingivarum ibi tenuitatem, tum propter ipſorum acutiem; primo autem Dente ex Maxillâ quacumque erupto, (nam nunc una nunc altera primum emittit) plerumque illi directe oppoſitus proximus ſequitur. Dens nempe primo prominens, partem Gingivæ, quæ oppoſitum ſibi adhuc Dentem obducit, quotieſcunque Maxillæ clauduntur, adeo atterit, & ab acutie findit, ut neceſſario hic loci

ſit proxima Gingivæ apertura, & hinc forte ortus eſt mos ille apponendi Corpora dura uti Corallium &c. Dentibus erupturis facilitantia viam.

§. 3. Diximus hos, Inciſores ſcil. in genere facilius cæteris ſibi exitum parare; quotieſcunque enim majores erupturi ſunt, hi multo magis obtuſi Gingivas nudas comprimunt longe plus, & contundunt, quæ non niſi vaſis ſanguiferis & nervoſis tenerrimis conflatæ, ſummis Tenſionibus, Doloribus, & Inflammationibus obnoxiæ ſunt, his non ceſſantibus plerumque ſuccedunt Tumor, Gangræna, Convulſio, Salivatio, Alvi Fluor Viridis, Febris & Mors.

§. 4. Difficilis ergo hujus Dentitionis cauſa videtur tum in Dentibus, tum in Gingivis conſiſtere. In Dentibus quando tardius excreſcunt, ſuntque obtuſiores, unde difficilius Gingivas penetrant; in Gingivis quando ipſarum ſubſtantia ſolidior & durior eſt, adeo ut difficulter patiantur ſe a Dentibus dividi; Unde attritus maximus, ſanguinis aliquando Effuſio, Inflammatio, Febris &c. cum autem nervi etiam (nam nulla pars magis nervoſa eſt) ab hac compreſſione premuntur, & irritantur, huc major copia ſpirituum determinatur, unde muſculi faciei contrahuntur, qui Glandulas ſalivales comprimendo ſalivæ excretionem crebriorem excitant; quæ deſcendens per fauces Tufficulam tunc temporis communem, membranam Laryngis vellicando cauſat: hæc autem a Defectu alimentorum (nam inter dentiendum Infantes, ſemper omne genus

Alimenti pertinaciter recuſant) acrior facta, non raro motus convulſivos in Ventriculo facit, pergens autem ulterius ad Inteſtina, eorum Tunicas & Glandulas irritat, & mordet, unde tam larga Alvi profluvia tanto cum dolore accidunt.

§. 5. Signa Dentitionis Diagnoſtica petenda ſunt 1°. ex ætate, (attamen dubie) 2°. ab Infante Gingivas digitis perpetuo fricando. 3°. ſi papillas nutricis fortius quam antea ſtringat, 4°. a Gingivis albicantibus & tumentibus, ſalivâ magnâ copiâ effluente; denique a vigiliis & nutrimenti rejectione.

§. 6. Hiſce expoſitis prognoſticon hujus morbi facile patet; nam quo Dentes obtuſiores, eo pejora a Dentitione metuenda mala, difficilius enim Gingivas perforant. Item quo Gingivæ ſolidiores magiſque reſiſtentes eo difficilior Dentitio, & graviora ſæpe ſymptomata: porro diſcimus ſequentia ab Hippocrate [a] nimirum quod qui cum Dentitione bene habito corpore permanent, gravi ſomno premuntur, periculum ſit, ne eos convulſio prehendat. Quod qui cum Tuffi dentiunt, iis tardius dentes erumpent. Dein quod plerique convulſionibus affecti evadant. Sic enim ait non omnes Dentibus erumpentibus Convulſione tentati moriuntur, plerique etiam ſervantur; quod ſi alvus crebrius demittit, minus convulſione tententur, & raro ſi Febris acuta accedit. Conſtat tamen quod ſi Eruptio variis de cauſis retardetur, & ſymptomata de die in diem, excreſcant, imo nova

[a] Hipp. lib. de Dentitione, Sect. 3.

pri-

prioribus ablatis accedant, & Infantum tenella corpuſcula huic oneri ferendo imparia reddantur, tum morbus in mortem terminari ſoleat.

§. 7. Quod a causâ prædictâ oriantur omnia hæc tum dolorifica, tum periculoſa ſymptomata, patet ab iiſdem ceſſantibus & evaneſcentibus quam primum Dens eruptus eſt. Unde Indicationes hujus morbi curativas ex ſequenti triplici methodo petendas eſſe judico.

1. Gingivas emolliendo, refrigerando, & leniendo. Summum enim in medicina eſt, ut Naturæ deficienti auxiliemur, aſt hac bene progredientem, ne minime quidem perturbemus. In hunc finem laxantia hic ſola fere uſurpanda ſunt; quare fiant fomenta ex herbis emollientiſſimis, uti Flor. Althæ: Verbaſci, Sambuci, & ſimilibus, in Lacte coctis, quibus tepidis foveantur Gingivæ, ſimul & maxillæ externe, quâ ratione lenitur dolor, laxantur membranæ, & compeſcitur Inflammatio. Præ omnibus autem hic Clariſſ. Boerhaavius commendat cremorem ſambucinum, cujus compoſitio B. L. inveniat in ejus M. M. Sect. 1377, dum his utimur, curandum etiam eſt ſi poſſibile ut aſſumantur potus refrigerantes, & ſi neceſſe ſit, nonnihil dolorem ſopientes, in quem finem Emulſiones ſumma ſunt remedia, quatenus ad quamcunqe intentionem confici poſſunt, & quam proxime ad naturam Lactis vel Chyli accedunt. Hinc Emulſiones dictæ Pacificæ pulcherrime votis reſpondent.

2. Quando Dentes conſpicuo elevare ſe incipiunt, quod a Gingivis Albicantibus apparet, interponantur maxillis corpora dura & glabra, quæ tunc temporis plerumque ſponte quærunt Infantes; hæc in ore retinendo, mordendo, & contra Gingivas leniter fricando, non raro ſibimet inſciis fiſſæ ſunt Gingivæ, patetque via pro Dente erupturo; hunc in finem laudant nonnulli auctores ut ſpecificum, Dentes Lupi; quos Sylvius de le Boe putat ſcatere ſale quodam volatili, cujus penetrantiſſimi halitus emiſſi promovent Gingivarum perforationem; ſed meræ quæ hic dixit ſunt nugæ, quum conſtat ex Chemiâ in nullo animali exiſtere Sal Volatile, ſed in eo exiſtens Sal eſſe Ammoniaco ſimillimum, & non niſi majori Ignis vi Volatile reddendum. Quicquid ergo politum & durum modo eſt, huic Indicationi ſatisfacit; ut Ebur, Cryſtallus, Agates, Corallion &c. ex quibus inſtrumento quodam oblonge facto Gingivæ continuo affricantur; ut multo tenuiores redditæ, ita aptiores emittendis Dentibus evadant. Hac enim ratione ut antea dictum eſt, §. 2. Dens ſemel eruptus, oppoſito erupturo facilitat viam.

3. Si autem adhuc continuatur dolor, & prædicta fruſtra fuere applicata, tum ſectione Lanceolæ Chirurgicæ ſolummodo ſuccurrendum eſt, cavendo autem ut ſemper ſecundum longitudinem Gingivæ ſupra Dentem prodeuntem ſectio fiat; aliter (a tranſversâ ſectione ſcil.) apertura haud ſatis larga ad Dentem emittendum facta eſt; unde a magnâ Tenſione maximus oritur

ſine

ſine fructu dolor; præterea citius coaleſcit vulnuſculum & ſic iterum Dentis egreſſum impedit. Simulac autem Inciſio facta eſt, ſtatim inunguntur partes pauco Cremore Sambucino, ſi ſanguis nimis fluit, addantur guttæ aliquot ſucci ſempervivi, hacque ratione compeſcitur Effuſio, & felix tum Labori tum Dolori plerumque ſatisfacit eventus.

§. 8. Hic ut in ultima Claſſe horum morborum Convulſiones inde oriundæ, plerumque cum morbo ipſo curantur; ſi autem aliis opus eſt medicamentis Clariſſ. & Fideliſſimus Sydenhamus nos docet, quod a parvis doſibus Guttar. Goddartian. vel quod idem eſt Sp. Cor. Cerv. feliciſſime tollantur; hoc enim medicamentum ex volatilibus mitiſſimum, & huic ætati, ab omni experientiâ, amiciſſimum eſſe videtur.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De Morbis a Vermibus oriundis.

§. 1. PRædictis ſuperatis malis, facile credo quis expectaret nunc ſaltem dari Tempus, quo abſque tantis eminentibus Corpus Infantile increſcat periculis; ſed certe quaſi a quadam lege ſtatutum fuit, totidem ſuccedentibus malis genus humanum intra primos ſeptem annos obnoxium fore, ut maxime mirandum ſit, quomodo corpus tam laxum, tam tenerum, tam nervoſum tantos ſubigere par eſt morbos. Haud citius Dentitionem terribilem illum Morbum non niſi ſummâ cum difficultate evaſere pueruli, quam aliis non minus gravibus inde incidant morbis; iſtis nempe qui a Vermibus oriri ſolent. De quibus ſecundum ordinem hujus Diſſertationis propoſitum, nunc breviter agendum eſt.

§. 2. Obſervatio eſt antiquiſſima, quod quamdiu lactantur Infantes, tam diu a Vermibus ſint immunes. Quamprimum autem Gingivæ ab eminentibus Dentibus hinc inde propulſis paulo aſperiores fieri incipiunt, tum mammas maternas repudientes, vel ſaltem minus æſtimantes, Cibos crudos, Fructus horarios, carnes, caſeum & ſimilia alimenta petunt. Hæc autem aeri undique

dique expoſita [18] Infectorum ova ubique fere decidentia ad excipienda obnoxia ſunt; quæ in corpus tenellum aſſumpta, a debilibus ejus viſceribus deſtrui non poſſunt, unde in Pituitâ Inteſtinali vel Gaſtricâ hærent, foventur, pariunt, augenturque.

§. 3. De Vermium diverſo admodum genere hic agere, brevitas harum Diſſertationum ſolita haud permittit; ergo ſat erit nobis notare, quod ſint triplicis generis, quibus imprimis afficiuntur Infantes; 1. Lumbrici rotundi, qui ſunt frequentiſſimi; 2. Lati, qui etiam ſunt longiſſimi, & Tineæ audiunt; 3. minimi, Pediculorum inſtar, Aſcarides dicti. Reperiuntur plerumque in Oeſophago, Ventriculo, Inteſtinis omnibus, Colo excepto; hic enim raro manent diutius, quam per hoc ſimul cum fæcibus tranſeant; In Oeſophago & Ventriculo hærere vermes, Nauſeæ a motu ſuo titillante oriundæ docent, quin & eorum per vomitum Rejectio. In Inteſtinis autem probant alvi fluores, ab Irritatione ſuâ animi Deliquia, Pulſus deficientes, quin & eorum per ſedes expulſio; & hinc fit pruritus narium illud fere nunquam fallax ſignum, nempe ob Inteſtinorum ſtimulum per Nervum Intercoſtalem communicatum membranæ Schneiderianæ, quæ præter magnum Olfactorium Nervum, accipit etiam a primo Ramo Quinti Paris Ramum ex unione cum Nervo paris ſexti, a quo Nervus Intercoſtalis ſuam habet originem. Hinc etiam Dentium ſtridor ob communicationem in-

[18] Eſſ. p. 30, 31.

ter

ter Intercoſtalem & Quinti Paris Nervum, a quo Dentes accipiunt Ramum; denique ob conjunctionem Nervi Intercoſtalis cum omnibus fere totius corporis Nervis fiunt Inſultus Epileptici, huic morbo adeo communes. Hi ſunt effectus vermium quatenus ab Irritatione & motu ſuo; ſi autem durant, tunc magnam copiam Chyli conſumunt, unde Infans hoc privatus ſemper fere eſurit, pallet, debilis fit, alvo adſtricto & ventre tumido laborat. Quin & aliquando ut docet cadaverum diſſectio ipſa Inteſtina perforant. Ex quibus patet, ſi aliquamdiu in corpore maneant, tandem fieri lethales.

§. 4. Quoad Diagnoſin ſi prædictis ætatem, victum, temperiemque ægri ſubjungamus, facile cognoſcatur morbus. A primo enim anno uſque ad decimum quartum vermibus maxime obnoxii ſunt Infantes & Pueri; præſertim ſi ex alimentis Pituitam generantibus & fructibus horæis veſcantur vel indulgeantur; non quod ſit in his proprietas vermes [19] generandi, uti vulgo putatur, ſed quatenus ad Inſectorum ova excipienda omnium maxime obnoxii & expoſiti ſunt.

§. 5. Viſis ſic Diagnoſticis, pergamus ad Prognoſtica. Inter vermes omnium tutiſſimi, ſed & moleſtiſſimi ſunt Aſcarides, quatenus in Inteſtino Recto hærentes Teneſmum perpetuum faciunt. An Lumbrici an Tineæ pejores ſint non bene inter ſe conveniunt medici; quicquid autem ſit, ſemper mali ſunt, ob graves inde ſequentes affectus, & nunquam quid boni portendunt,

[19] Eſſ. p. 30, 31.

tendunt, niſi morbo in judicationem tendente; tum enim inquit Hippocrates [a] Lumbricos rotundos cum alvi excretione prodere expedit, & [b] Lumbricos etiam ſub judicationem exire commodum eſt; non quod per ſe boni ſint, ſed quod Criſin fieri indicent. Si autem contingit illos erodere Inteſtina, ut auctores perhibent, Lethale eſt.

§. 6. Modis nunc explicatis quibus generantur vermes, & quibus etiam in corpore humano ſubſiſtunt, in paucis conſiſtet curatio. Diximus ſuperius hos per alimenta in corpus ingredi, & pituitam Gaſtricam & Inteſtinalem illis præbere Nidum. Neceſſario ergo duæ inde requirentur Indicationes. Primo, ut nidus hic deſtruatur, unde occaſio ſublata ſit, quâ foveantur vel augeantur. Secundo. ut enecentur, & e corpore expellantur.

Ad Nidum deſtruendum conducunt omnia quæ Pituitam prohibent, vel nactam in corpore, attenuant, & expellunt; talia ſunt α. Alcalia fixa, inter quæ ſumma ſunt Alcaheſt Glauberi, & Oli Tart. per Deliq. ad Gutt. unam alteramve exhibita. β. Saponacea, uti ſapo Venetus; γ. Mercurialia, ut Æthiops Minerale, vel Mercurius dulcis ruditer contritus, ne ſalivationem faciat. δ. Aromatica amara, v. g. Cortices Aurantiorum, Sem. Abſynthii, Santonicæ, Tanaceti, & ſimilia. ε. denique medicamenta Reſolventia Gummata, uti Gum. Opoponax, Aſſafœtida, Galbanum &c. ex quibus facile componantur formu-

[a] Lib. Prænotionum. [b] Lib. de Indicationibus.

læ

læ pro re natâ exhibendæ. [20] Dum interim externe applicari poteſt Fel bovinum, cum unguento Nervino miſtum, quod eſt ſummum Reſolvens. Huic addatur adhuc ſi placet Ol. Tanaceti vel Aloes pulveriſat. & formâ Linimenti ad abdomen applicetur. Ut autem verbis Cl. Boerhaavii utar, obſervandum eſt an nimis turbet alvum, id quippe accidit ſæpe, ne in Dyſenteriam prolabetur Infans, ex uſu nimio cavendum tunc erit.

Ad ſecundam Indicationem Anthelmintica ſola uſurpanda ſunt; hæc vocantur medicamenta quæ Vermes necant & expellunt; unde ad duas Claſſes commodiſſime reduci poſſint. quarum 1. continet ea, quæ (ut docet experientia) vermes necant. Ut α. olea omnia immediate vermibus applicata, quæ obſtruendo omnes illorum Trachæas brevi eoſdem deſtruunt. Hæc autem vel ſpecie potus adhibeantur, vel ſpecie Clyſmatis, expurgatâ prius leniter alvo injiciantur. β. Mellita omnia, quæ poſt datum lene purgans, jejuno ſtomacho pro Anthelminticis efficaciſſimis habentur. γ. Quæ indigeſtibilia hiſce Inſectis ſunt; uti officula Piſcium, Corn. Cerv. Limatura Martis & ſimilia. δ. omnia Venena vermibus dicata, inter quæ princeps eſt Mercurius, Æthiops Minerale præſertim cum leni purgante exhibitus; vel fumatur ſi placet Merc. dulc. gr. iij. Scammon. gr. v. Sacchar. albiſſ. gr. vj. M. & exhibeatur ex pauco Syr. Violarum. Proxime accidunt metallorum Vitriola, Martis ſcil. quæ ſo-

[20] Eſſ. p. 31.

luta

luta pauco melle ſumatur, addito leni purgante, ut per alvum determinetur. ε. medicamenta acida, uti ſpiritus Nitri, Vitrioli, Sulphuris &c. hic etiam referri poſſint Medicamenta ſalina, quorum primarium eſt Sal Gemmæ. Si autem quis plus de his cupit, conſulat modo obſervationes Clariſſ. Rhedi & Baglivi de remediis quæ Lumbricos necare dicuntur; ubi videbit per plurima experimenta in quibus horum citiſſime moriuntur; & quantum errat vulgus, tum de generantibus, tum de enecantibus Vermes.

2. Claſſis continet ea quæ Vermes expellunt, qualia ſunt omnia Purgantia, ſine ullo diſcrimine, modo vacuo ventriculo aſſumantur. Nec refert quicquid dicatur de amaris ſolis, nam a vi purgativâ & non amarâ agunt; etenim Colocynthis quæ purgantium omnium amariſſima eſt, tantum abeſt ut Vermes peculiariter necet, ut e contrario hos in ſuis pomis vel foliis vivere & parire ſinit. Hic ergo in uſu veniunt Scammonium, Jalappa, Agaricum, &c. quæ contrita cum Saccharo convenientiſſime exhiberi poſſint. Quin & Clyſmata & Unguenta externe fricata maxime proſunt; præſertim ubi Infans nihil per Os aſſumet; hæc autem ex prædictis facile colligantur & componantur. His ſi adhibeatur ſumma cura ut omnia vermes generantia vel nutrientia §. 2. evitentur, ſatis cito efficiatur ſanatio; quæ apparet a vermibus vivis vel mortuis excretis, vel ſpecie muci cum fæcibus expulſis; nam poſtquam enecati ſunt, citro putreſcunt & mucoſi fiunt, unde inſigniter errant, qui putant

tant vermes non necari, nisi par alvum ut vermes exeant.

En B. L. quæ de Morbis Infantum, pro specimine inaugurali exhibere decrevi. Plura, fateor, pulchra addere potuissem, & forte addenda erant; sed moles nimia jam, temporisque penuria, & materiæ gravitas, ne latius exspatiarer, obstitere: hinc ut eodem animo, quo ego tibi offero, pauca hæcce accipias, enixe rogo, obsecroque.

MVSEVM BRITAN NICVM

FINIS.